



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 4. An Lex naturalis potest mutari?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

nestè, ac decenter naturæ rationali ut rationali. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* 1. ad Cor. 14. At ad semper agendum honestè, ac decenter naturæ rationali, quâ rationali, necesse est, ut omnis ejus actus deliberatus sit consentaneus naturæ rationali quâ rationali, ideoque honestus. Ut autem actus sit honestus, ac bonus necesse est, ut sit de objecto bono, vel indifferenti, sed conducibili ad bonum finem, ut fiat modo convenienti, & in circumstantiis objecto debitibus, & propter finem honestum. Nam si unum ex iis desit, actus non est bonus, sed malus: tunc enim non tendit decenter, ac convenienter naturæ rationali in objectum finem, & circumstantias actui debitas; & sic non convenit, sed disconvenit naturæ rationali, seu intellectuali, nec à recta ratione approbatur, sed improbatur: quippe recta ratio dictat eum solum actum esse bonum, & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas. Hinc illud axioma Theologicum *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Q. 4. *An Lex naturalis potest mutari?*

Resp. I. Ex communi. Non potest mutari propriè. Quia Lex mutatur propriè, cùm definit, aut sit inhonestæ, noxiæ vel ini-

inutilis , aut abrogatur à Superiore , vel contraria consuetudine præscribitur. At Lex naturalis neque potest desinere , cùm sit necessaria , & lata in perpetuum ; neque fieri inhonesta , noxia , vel inutilis ; cùm nil præcipiat nisi bonum , ac honestum , & ex natura rei necessarium , & nil vetet , nisi id , quod est per se malum , ac dishonestum ; neque potest abrogari à Superiore nempe Deo : Deus enim non potest non præcipe-re semper creaturæ rationali id omne , quod ex natura rei necessarium est ad vi-vendum honestè , & decenter naturæ suæ ; nec prohibere id omne , quod ex natura rei illam dederet : nam non potest creaturam rationalem non regere sapienter , & ordina-tè , & modo suæ sanctitati consentaneo , ideoque decenter , ac conformiter naturæ rationali . Quare Lex naturalis , supposi-ta creatura intellectuali , est absolute ne-cessaria . Denique non potest contraria consuetudine præscribi , nam si non potest abrogari à Deo , multò minùs potest ab ho-minibus .

Resp. II. Lex naturalis potest mutari impropriè , quatenus nempe potest fieri mutatio in circumstantiis materiæ illius . Nam Deus potest materiæ Legis naturalis apponere , vel tollere conditiones , ac cir-cumstantias quasdam , quibus positis , aut sublatis actiones jam non sunt Lege natu-rali

rali prohibitæ, vel præceptæ, & per quas
mutatur materia.

Not. Aliquid est de jure naturali permis-
sivè, vel præceptivè. Illud est de jure na-
turali permisivè, quod Lex naturalis nec
præcipit, nec vetat, nec irritat; sed per-
mittit fieri, vel aliter de eo statui. Illud
est de jure naturali præceptivè, quòd præ-
cipitur, vel prohibetur jure naturali, ac
proindè cujus oppositum à nemine statui
potest.

*Q.5. An saltem Deus potest dispensare
in aliquo præcepto Legis naturalis?*

Resp. I. Ex communi non potest dispen-
sare directè, & propriè. Quia dispensare
propriè in lege est liberare aliquem ab ob-
ligatione Legis, manentibus omnibus cir-
cumstantiis, sub quibus Lex viget, & obli-
gat. At Deus non potest absolutè hoc fa-
cere in Lege naturali. Ergo. *Prob. Min.*
Nam Deum liberare aliquem ab obligatio-
ne Legis naturalis, manentibus omnibus
circumstantiis, sub quibus illa per se obli-
gat, est Deum concedere alicui, ut agat
aliquid jure naturali vetitum, vel omittat
aliquid hoc jure præceptum, manentibus
omnibus circumstantiis, in quibus id jure
naturali prohibetur, vel præcipitur: ac
proindè ut agat id, quod est intrinsecè ma-
lum, ac inhonestum, vel omittat id, quod
tunc